

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Iudex siue iudicium h
cum fonte primo

Hoc loco nichil aliud precipi existimo, nisi ut ea facta que dubia sunt quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.

De hiis autem que non possunt bono animo fieri, sicut sunt blasphemie

et huius nobis iudicare permittitur.

De factis autem mediis que possunt bono et malo animo fieri,

temerarium est iudicare maxime ut condempnemus.

Augustinus libro de sermone Domini in monte super illud Matthei VII.: Nolite iudicare et non iudicemini.

Hoc loco nihil aliud nobis praecipere existimo, nisi ut ea facta quae dubium est quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.

Quod enim scriptum est: EX FRUCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS, de manifestis dictum est, quae non possunt bono animo fieri, sicuti sunt stupra uel blasphemiae uel furta uel ebriositas et si qua sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur dicente apostolo: Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2, 18, 59 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., pp.154-5, ll.1352-1359).

Sunt ergo quaedam facta media, quae ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condempnemus.

Augustinus Hipponensis, *De sermone Domini in monte*, 2, 18, 60 (CCSL 35, A. Mutzenbecher ed., p.156, ll.1375-1378).